VITA
B. IOANNIS A BACVLO
DISCIPVLI S. SYLVESTRI,

Syluestrinæ Congregationis, sub Regula S. BENEDICTI, *fundatoris,*

A D. ANDREA Fabrianensi, eiusdem Congregationis Monacho, S. Theologiæ Doctore, olim conscripta,

Et nuper à D. IACOBO MERCATO, *eiusdem Congregationis in Romana Curia Procuratore Generali locupletata.*



CAMERINI,

Apud Franciscum Ioiosum. 1613.

De licentia DD. Superiorum.

FERDINANDO TABERNAE S.R.E. CARDINALI AMPLISS.

D. IACOBVS MERCATVS SILVESTRINAE Congregationis Procurator Generalis felicitatem.

SINGVLARI profecto honore ac beneuolentia, Cardinalis amplissime nostram Siluestrinam cógregationem dum Picenae legationis munere fungereris, prosequutus es. cùm enim Fabrianum te contulisses, non solum eremum Montisfani, vbi requiescit corpus S. Siluestri eiusdem Congregationis fundatoris inuisere, & in templo S. Benedicti sacrum facere, monasteriumque nostrum tuae praesentiae ac splendore illustrare voluisti: verum etiam quae tua est in sanctos viros pietas, maxima cum uoluptate S. Siluestri vitam perlegisti. Cumque tecum agerem de nõnullis eiusdem sancti viri discipulis, praesertim de Ioanne, cui cognomen à baculo, quique in eremi cella sexaginta ipsos annos pie, religioseque vixit; eius vitam te vehementer cupere asserebas. Ego vero vt tibi morem gererem, & eam tum promisi, & promissis tamen

ad huc ſtare diſtuli. nam cum vellem eam tibi paulo cultiore dicendi genere exornatam tradere, ante hoc tempus id effici minime potuit. equidem potuiſſem deſcribendam ex uetuſtis exemplaribus curare, nulloq. verbo mutato ad te mittere. Quod quidem tibi gratum etiam ut arbitror accidiſſet: Si enim recte ait Theocritus ὅτι ἔρωτι πολλάκις τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται; quanto magis tibi amatori rerum à ſanctis viris geſtarum, quae reuera pulchrae ſunt, id ſane acceptum fuiſſet, atque iucundum. Verum, quo tibi eſſet acceptior paulo accuratiore ſtylo, quam olim eſſet ab Andrea noſtri ordinis quarto Generali Priore conſcripta, expoliendam curaui. Te igitur nunc oro atque obſecro, vt eamdem laeto benignoq. vultu vt ſoles accipiens, in paruo munere magnitudinem animi agnoſcas, Silueſtrinæque Congregationi, quae tibi addictiſſima eſt, fauere ne deſiſtas. Vale Romae.

IACOBVS MERCATVS
MONACHIS EREMI MONTISFANI totiusq. Siluestrinę Congregationis.

EST hoc iam in more positum apud eos, qui sanctorum uirorum res praeclare gestas litteris mandant, ut proœmij loco symbolum aliquod, siue typum è sacris uoluminibus depromptum usurpent. quare, quò sit haec nobis lectio fratres mihi carissimi iucundior, idem mihi censeo faciendum. Et quidem dum paulo attentius requiro qui cum B. Ioannes à baculo commodissime conferatur nemo mihi melius eum, quam Iacobus patriarcha uidetur adumbrare. De quo multa quidem in sacra narrantur historia: ad rem tamen nostram faciunt illa potissimum: luctatum esse aliquando cum angelo, ob eamque rem altero foemore laesum claudicasse; uno denique baculo fretũ, tranasse Iordanem. Ac religiosa quidem cum Deo collocutio luctæ uidetur esse quam simillima: Si quidem ut luctator antagonistam suum brachijs arcte complectitur, Ita qui Deum precatur, duabus eum facultatibus, mente scilicet ac uoluntate comprehendit. Nec satis est luctatori semel certamen illud inchoasse: sed luctam ad uictoriam usque persequitur, & qui cum Deo precibus agit, in ijs persistat quàm diutissime necesse est. Quocirca, ceteris omissis ut luctator non nisi aduersario prostrato a dimicatione desistit: ita qui ad Deum supplex accedit non est ei ante surgendum, quàm exorarit. Ergo is quidem cum angelo luctando dimicauit. Ioannes uero cum ipso Deo

precatione

precatione certauit. ex eo certamine uictor ille discessit. noster quoque Ioannes tum denique uictoriam reportauit, quum uoti compos est factus. Dubitanti enim utrum sibi esset in patriam reuertēdum propter ea pericula, quæ imminere sibi Bononiae intelligebat, ubi tum studiorū caussa uersabatur, eam Deus oranti mentem iniecit, ut suæ salutis caussa domum rediret, atque ita uictor euaderet. Quod si Iacobi foemur laesum est in lucta; noster quoque Ioannes post effusas ad Deum preces, crure debilitatus est ita, ut non ad breue tēpus, sed reliquo uitae spatio claudicarit. Itaque quod is usurpasse fertur quum ait, In baculo meo transiui Iordanem: idem hic noster potest de se ipse quodammodo confirmare. Et quo hæc utriusque ratio facilius intelligatur, non incommode Iordani dicimus religiosum quemlibet ordinem uideri persimilem. Is enim Fluuius, qui יַרְדֵּן ab Hebræis nominatur, ex duobus fontibus oritur יור quasi יְאֹר & דָּן ex quibus Iordanis nomen constat esse conflatum, ita religiosae omnes leges ex gemino fonte, Dei uidelicet atque hominum amore deriuantur. Ergo Iacobus bacillo Iordanem traiecit. Id quod ut notat Hieronymus ab Oleastro summam ipsius indicauit inopiam; ita noster Ioannes, abiudicatis à se rebus omnibus, uno bacillo nixus, cuius adhuc quod esset claudus indigebat, nostram nimirum Siluestrinam familiam, quasi mystici Iordanis undas ingressus, ulteriorem tandem cæli ripam felicissime tenuit. Speculum denique fuit Iacobus, in quo praeclare meo quidem iudicio noster Ioannes ostenditur. At si aliud quoddam speculum quærimus in quo multo maxima ex parte beati huius uiri tum recte facta singillatim tum supra naturæ uires diuinitus patrata

contemplemur, in uobis libellus quem Domnus Andreas Fabrianensis nobis reliquit, & quidem rudiore stylo conscriptum, quae sane non ipsius fuit culpa, sed temporum. Quare quo maiore cum animorum uoluptate, quae ad beatum hunc uirum pertinent spectari queant, data est opera, ut speculum ipsum nonnihil uelut detergeretur, totaque scriptio paulo accuratius expoliretur: ita tamen ut neque nimis esset ornata, & historicam dictionem potius quam oratoriam redoleret. Id uero curatum potissimum, quod à Demetrio Phalereo de periodi siue comprehensionis concinnitate in aureo de eloquutione libello illis uerbis praecipitur, ἱςορικὴ μὲν, ἡ μήτε περιηγμένη, μητ᾽ ἀνανημένη σφόδρα, ἀλλὰ μεταξὺ ἀμφοῖν. Iam uero tempus est, ut speculum ipsum sumamus in manus, illudque diligenter intueamur. Quod si minus fuerit quam par esset extersum; certe erit eiusmodi, ut eo ad nostras actiones dirigendas, & exornandas uti possimus. Id quod etiam facilius ut spero nobis eueniet, si ut ad nos iuuandos semper paratus est Deus, ita ipsi ad beati huius uiri uitae rationem imitandam pro uiribus enitemur.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS D. Iulij Raynaldi Fabrianensis S. Theologiae Magistri, & totius Siluestrinae Congregationis Prioris Generalis.

EGO Iulius Raynaldus totius Siluestrinae Congregationis sub Regula Sancti Benedicti Prior Generalis facultatem concedo, ut Typographorum opera in lucem emittatur Vita Beati Ioannis à baculo discipuli Sancti Siluestri Siluestrinae Congregationis fundatoris, à D Andrea Fabrianensi, eiusdem Congregationis Monacho Sacrae Theologiae Doctore olim conscripta, ac nuper à D. Iacobo Mercato Sacre Theologiae Magistro eiusdemque Congregationis in Romana Curia Procuratore Generali locupletata, & aliquorum Theologorum nostrae Congregationis iudicio approbata. In quorum fidem has litteras manu nostra subscripsimus, sigilloque nostro muniendas curauimus Romae in nostro Monasterio sancti Stephani supra Caccum die 28. Mensis Nouembris 1612.

Idem Iulius Raynaldus Generalis Monachorum Siluestrinorum.

DE VITA, ET MIRACVLIS BEATI IOANNIS A BACVLO DISCIPVLI S. SILVESTRI

Liber Primus.

De eius ortu, & pueritia cum laude traducta. Cap. I.

FLVIT Ioannes iam inde à pueritia christianis virtutibus ornatissimus, & ex primis S. Siluestri discipulis nostrae Congregationis parentis, ex obscuro quidem pago nempe Paterno ortus qui est in agro Piceno ac Fabriani Oppidi Suburbano; quem ipse tamen vitae sanctissimae actae splendore collustrauit. Eius, Pater Bonellus Botichonus ex coniuge Supercla liberos quinq. suscepit: quorum natu maximus Iuncta dictus est: & ad sacerdotij ordinem deinde prouectus, aetatem grauiter honesteque traduxit: Alter Nicolaus: tertius Benuenutus: quartus Bonhora dictus est: extremus Ioannes de quo agimus & si natu minimus, Dei tamen beneficio ab ipso ortu ad obitum vsque clarus, post obitum vero, vt suo loco dicetur, longe clarissimus. Etenim & pridie eius diei

est in hanc lucem editus, quo Dei filius naturam hominis in vtero Virginis accepit: eodemque die, decursis annorum spatijs, caelo, corporis vinculis ex solutus, illuxit. Puer deinde optima spe atque indole praeditus germano fratri eidemque sacerdoti à parentibus traditur in disciplinam, ecclesiasticis litteris imbuendus: in quibus breui tantum processit, vt inter aequales videretur excellere. Ceteri vero fratres tum quidem agriculturae addicuntur: ex quibus Benuenutus cum tribus liberis, progrediente tempore, Ioannis vestigia persecutus, religiosae vitae institutum arripuit. Ergo iam inde à pueritia tanta in Ioanne morum grauitas elucebat, tanta in diuinis officiis obeundis cura atque sedulitas, tanta in verbis maturitas ac modestia cernebatur; vt senilis aetatis animum gerere videretur. Aequalium praesertim ludos, leuitatemq. vitabat: Illudq. praecipue cauebat, ne alienarum arborum pomis surripiendis inquinaretur: quibus puerilis licentia tantopere inhiare solet; quum diceret se in rebus huiusmodi reclamantem conscientiam exaudire. Nullam cuiquam non ex maioribus modo, sed ne ex aequalibus quidem faciebat iniuriam: contra vero aequo animo ferebat illatam. Mulierum colloquia etiam
quum

quum deinde adoleuiſſet tanquam peſtem aliquam auerſabatur. Denique tam multa, conſeruandae innocentiae cauſſa, tolerabat; vt iã non puerum aut adoloſcentem diceres ſed virum grauem ac religioſae diſciplinae legibus aſtrictum. Mirabantur omnes tam ſedulam in ea praeſertim quae lubrica eſſe ſolet aetate ſenſuum cuſtodiam, tantam in ſuſcepto conſilio virtutis perſequendae conſtantiam: vt iam inter vicinos illud paſſim pro vaticinio vſurparetur Ioannem magnum aliquid aliquando futurum. Vix dum enim ad eam aetatem venerat, in qua ratio viget, atq. conſilium, quum pios libellos lectitare coepit, frequentibus Deum precationibus colere, nullum ab Eccleſia imperatum ieiunium, quamuis repugnantibus parentibus, ac fratribus perſaepe moleſte ferẽtibus velle praetermittere.

Bononiam ſtudiorum cauſſa mittitur. Cap. II.

VERVMTAMEN quum Ioannis virtus praedicaretur ab omnibus, quum in tẽplis Deique cultu eſſet aſſiduus, quum, pro viribus ſaecularium hominum conſuetudinem declinaret, quum tempus omne legẽdo, Deoq. precando conſumeret; gaudebant in primis

parentes, ac fratres, & ad fouendum adolescẽtis propositum concitabantur. Quocirca, re inter se mature deliberata, Ioannem Bononiã litterarum caussa mittunt. Is vero Grammaticae studio, pietatis atque animae salutis curam non esse postponendam ratus, templa, & conciones quoad eius fieri poterat, quasi vehementem sitim explere cupiens, frequẽtabat. Neque tamen litteras negligebat: immo vero illis ita operam dedit, vt in ijs quantum satis esset, progrederetur. At quum per multa inibi cerneret vel inuitus, quae morum integritati aduersarentur; coepit valde sibi metuere, vt debuit, atque adeo secum ipse attentius reputare, vtrum esset sibi Bononiae diutius commorandum, an domum potius refugiendum. Si recederet, verebatur ne in parentum offensionem incurreret, qui eius dignitati, & commodis consulebant: Si maneret, pudoris iacturam atque animi exitium vehementius formidabat. Ergo, inops consilii, Deum sibi in tanto discrimine consulendum putauit. Cuius precibus permota diuina Bonitas benigne corpus tetigit, vt animae saluti prospiceret; eiusque tibiam graui vlcere percussit, vt ad salubriora consilia requirenda eius animum excitaret. Quocirca quum se à Deo prudens

adolescens intelligeret auditum: laetabatur animo, etiã si doloribus corporis premeretur. Verumtamen fortiter corporis infirmitatem atq. molestiam perferebat, vt mentis atq. animi sanitatem facilius tueretur. Qua propter certiores rei totius parẽtes ac germanos facit: quo audito nuntio, non ipsi modo, sed etiã vicini commoti sunt. Parentes tamen praecipuo, vt par erat, moerore affecti, Nicolaum filium, quiq. Ioannem vehementius diligebat, vt adolescẽtem domum reuehat, Bononiam mittunt. Porro Nicolaus cum comite Bononiam profectus Ioannem horribili vlcere decumbentem offendit: vt lacrymas ex aspectu mutuo nõ tenerent. Quare constituto ad reuersionem die, asello vectus Ioannes domum ad parentes fratresq. reducitur. Et quidem labor itineris mitigari videbatur, quod Bononia relicta, reuertebatur in patriam: verum reuersionis difficultatem auxit acerbi vlceris molestia; quam tamen patienti, ac forti animo pertulit. Ergo vbi domum peruenit, coepit vlcus ex itineris incommodis recrudescere, simulq. corporis vires frangi, atq. deficere. Quare vsque adeo tibia, & femur emarcuit, vt claudus deinde perpetuo, quoad vixit, baculum, à quo cognomen inuenit, gestare cogeretur.

Sancti Siluestri institutum amplectitur. *Cap. III.*

SANATO tum quidem vlcere Ioannes, in tibia tamen claudicationem retinuit. Quare Fabrianum se contulit, vt Grammatica docenda sibi victum quaeritaret. Ibi aliquandiu commoratus, quum crebro eius mentem permulta, & magna mundi pericula pungerent, de rebus humanis, & caducis delerendis coepit accuratius cogitare. Per id tēpus Siluestri sanctitas nostri ordinis auctoris non Fabriani solum, sed cunctis circa locis, longe lateque percrebuerat. Quamobrem eius fama permotus Ioannes ad ipsum adit, obsecrat, ut se in discipulorum numerum recipiat, velle se apud eum Deo abiudicatis à se rebus humanis, deseruire. Laetus noui accessione militis Siluester, facto ad tempus aliquod consilii constantiaeq. periculo; ita hominem admisit, vt quia claudus esset, cellā ei intra coenobii ambitum assignarit In quam ita se Ioannes alacer abdidit, ita se in ea frequentibus ieiuniis, precibus assiduis, piis lectionibus coepit exercere, ut prae rerum caelestium contemplatione, res caducas, & fluxas pro nihilo putaret. Quum quotidie sanctorum Patrum rebus gestis lectitādis animum

quasi

quasi lautissimis epulis reficeret, corpus vix exiguo agrestique cibo recreabat. Ita illud breui somno, duroq. strato perdomabat, vt idem cogeret mentis imperio nutuique parere. Tanta erat animi demissione, vt non modo moderatori Siluestro, sed fratribus, & códiscipulis omnibus tamquam suis maioribus obtemperaret. Et quia se minus idoneum intelligebat ad exteriora curanda negotia, intus se scribendo, Deo rogando, aliis docendis occupabatur. Ita tum Siluestri spiritalis omnium patris, tum aliorum virtutes obseruabat, ita singulorum recte facta, sapienterque dicta, instar apis, colligebat, ita huius patientiam, illius animi submissionem atq. modestiam, huius parendi studium, & alacritatem, illius in cótemplando assiduitatem notabat: vt vnus omnium in se ipse virtutes non adumbrare modo sed etiam exprimere imitando conaretur.

Ad Sacerdotium promouetur. Cap. IV.

ERAT Ioannes ob Christianae perfectaeq. virtutis praestantiam apud omnes in admiratione: Ita eum ceteri non modo diligebant, sed etiam verebantur, vt nemo auderet verbum vllum, quod minus deceret, eo prae-

ſente, proferre. Ac ſi quod forte cuipiam excidiſſet, oportune illum pro rerum perſonarumq. condicione, modo lenibus, modo acribus, modo etiam ſola vultus auſteritate caſtigabat, vt ad reſipiſcẽdum permoueret. Quocirca quum Silueſter animaduerteret breui Ioannem magnos effeciſſe in religioſa diſciplina proceſſus: curauit, ut ad ſacerdotium promoueretur, uel inuitus: quippe qui tanto muneri ſe idoneum non eſſe cenſeret. Verum tanta deinde religione ac reuerentia, tanto animi ſenſu metuque ſacroſancta myſteria pertractabat, ut Christo cruci affixo altare uideretur, & ad eumdẽ ſenſum pietatis eos, qui aderant, excitaret. Inter quos recenſetur in primis alter Ioannes à Cella (id fuit illi cognomen) de cuius egregia probitate magna erat apud omnes opinio. Is enim & ſi ſacerdotio initiari merito potuit, ea tamen fuit modeſtia, ut ne tonſura quidem clericali, quam dicimus, ſe ornari ſit paſſus. tantus fuit eiuſdem in orando pſallendoq. ardor animi, ut quotidie penſum duplex, tum pſalmorum tum dominicae orationis exſolueret. Ergo ut erat ſimplici quadam religione praeditus, Chriſti corpus in ſua forma cernere ualde cupiebat: atque hoc beneficium aſſidue à Deo non petebat modo, uerum etiam flagitabat. Quare illum, qui

qui vota humiliũ respicit, benignissime Christus audiuit. Nam quum interesset aliquando Ioanni à baculo rem diuinam facienti, cuius erat perstudiosus, dum ille salutarem hostiam populo venerandam de more proponeret, in ea non speciem panis, sed formosi pueri figuram aspexit, solisq. luce clarioris. Ergo & Christo tum pro tanto munere gratias quam maximas egit, vt eiusdem cruciatuum, ac mortis memor, vim lacrymarum profunderet; & non ita multo post de tanto accepto beneficio cum eodem sancto viro communicauit. A quo est vicissim perhumaniter monitus, ne in posterum auderet res huiusmodi postulare: quum diceret, longe ipsi ad fidem fructuosius fore, si corpus Christi crederet sub specie consecrati panis vere subesse, quàm si eumdem in sua forma & figura spectaret.

Eius silentium prudentia concionandi facultas.
Cap. V.

NON inanis opinionis ac popularis aurae ramusculis mouebatur Ioannes, sed solidarum magnarumque virtutum gradibus ad culmen perfectae sanctitatis nitebatur ascẽdere. Nam ita linguam religiosi silentij legibus

temperabat,

temperabat, vt nunquam loqueretur, nisi vel necessitas vrgeret, vel aliorum vtilitas postularet: & quoniam vt naturali esset prudentia insignis, diuinis tamen erat in primis muneribus ornatus, saepe cum illo de communi rerum statu tum Beatus nostri ordinis institutor Siluester, tum eius deinde successores duo, Iosephus ac Bartholus viri religiosissimi conferebant: quòd sperarent fore, vt si quid minus ei forte à natura suppeteret, diuinitus suppeditaretur. Neq. vero domestici solum, etiam moderatores, verum externi quoque, eius persaepe consilium exquirebant: quibus ille ita prudenter respondebat, ita puro ac religioso sermone vtebatur, corpore toto modeste semper decẽterq; cõposito, nihil vt in eo deprehenderetur, quod cuiusquam oculos posset offẽdere. Quod si qui ex domesticis ad eum consilij vel remedij petendi caussa confugerẽt, pulsis illico dubitationis tenebris, aut angoris molestijs laeti recedebant. Quin etiam ipse vltro fratres, aduenas praesertim atque hospites adibat: saepe corporis morbo aliquo laborantes, aut rebus aduersis moestos inuisebat: eorum calamitates miserabatur ex animo: sua illos praesentia, & oratione confirmabat, eorum dolores, & aerumnas sanctorum virorum exemplis, ac sacrorum

voluminum teſtimonijs leniebat. Quocirca, data opera permulti hominem conueniebant, vt eius prudentibus conſilijs, & religioſa conſuetudine fruerentur, quos ille ſi minus alio caritatis officio licuiſſet, certe hilari vultu ac ſuaui oratione conabatur excipere: vt ſemper omnibus faceret ſatis omnes ſalutaribus collocutionibus deliniret. Iuſſus poſtea conciones habere, primò quidem domi ad fratres, deinde vero in templo ad populum, quae alios docebat verbis, ea ipſe factis ac moribus repraeſentabat, Chriſtum doctorem omnium, qui prius facere quam docere coepit, imitatus. Atque ita eius verba in audientium animis penitus inſidebant, ita eius ſermo mentes hominum demulcebat, ita iucundam rerum diuinarum memoriam inſerebat, vt quò ille frequentius loqueretur, eò libentius, & auidius audiretur, quòd nimirum cum eius verbis facta mirifice conſentirent, neque ab oratione vita moreſq. diſcreparent. Ergo ſaepe fratres ac domeſtici, quippe qui eum optime noſſent, clam in eius cellam irrepentes vim illi quodam modo vt prodiret, & concionaretur afferebant, aut certe vt è ſanctorum Patrum rebus geſtis priuatim aliquid ac familiariter expromeret, quod ad vitam pie religioſeque traducendam pertineret.

neret. Quibus ille placido vultu ita morem gerebat, vt nihil tamen leuius, nihil ad risum ciendum accomodatum cōcionibus immisceret, sed rerum gestarum narrationisque veritate conseruata, ad Christianam pietatem religiosamque disciplinam auditorum animos inflammaret.

De illius in aduersa valetudine patientia ceterisq. virtutibus. Cap. VI.

FVIT Vir beatus infirma semper, & affecta valetudine, itaque assiduis paene morbis corporisque doloribus affligebatur, quos non aequo solum, sed libenti etiam animo perferebat, vt diceret nolle se ijs carere, si maxime posset, quòd sibi eos intelligeret quasi vepres ad vineam sepiendam, & custodiendam attributos. Quod si quis eum forte aut re, aut verbo laesisset, nunquam suas persequebatur iniurias, sed Christo libentissime condonabat. Si quis impotens irae asperioribus eum verbis vel cōtumelijs lacessere studeret, aut leni eum sermone frangebat, aut se subducendo, irato homini concedebat. Tanto autem voluntariae paupertatis amore flagrabat, nihil vt planè sibi retineret, nisi quod moderatorum iussu licuisset.

ſet. Singularem in Deo deprecando curam, & vigilantiam vel illud indicare poteſt, quòd ſemper communes aliorum in pſalmodia diuiniſq. laudibus excubias anteuertebat. Quibus, aliiſque id genus virtutibus non modo nõ efferebatur Ioannes, non modo ſibi nihil tribuebat, ſed altiſſimis actis religioſae humilitatis radicibus, ſi quando ſuas laudes alios praedicantes audiret, non modo nihil exhilarabatur, ſed vultu ſub triſti Dei timorem, religioſamq. modeſtiam tuebatur. Gaudebat in primis Silueſter ſpiritalis omnium pater, ac Magiſter de tam felici progreſſu cariſſimi filij atq. diſcipuli, aliorumq. plurimorum quos Chriſto genuerat, in pietate ac ſtudio chriſtianae philoſophiae, quorum nonnulli eo ſapientiae proceſſerant, tantumque apud Deum gratia valebant ac meritis, vt res etiam admirabiles, ac ſupra naturae vires efficerent. Pro quibus ingentes agebat Silueſter Deo præpotenti gratias, eoſq. tum pijs ad Deum precibus tum vitae ſuae exemplo fouere quoad uixit atq. proucher e non deſiſtebat.

Ioſephus

Iosephus Si uestro succedit. Cap. VII.

SILVESTRO deinde in caelum euecto, anno à Christo nato MCCLXVII sexto kal. Decembris, id quod & plurima, & magna prodigia declararunt, nihil tamen Ioannes de perfecti officij studio remisit, nihil de religiosae uitae disciplina diminuit, nulla ex parte illius in Deum atque homines caritas refrixit, sed contra potius, exarsit uehementius. Nam etsi spiritalis erat ei patris subtracta praesentia, eum tamen sciebat in caelo longe plus ualere quam antea, faciliusq. diuinam opem posse suis filiis impetrare. Quare non modo Magistro gratulabatur ex animo, dum nouis ille quotidie à Deo magnisq miraculis illustraretur, sed quum ipse quoque dignus tanto doctore discipulus, multa admirabiliter ageret, ea tamen (quae illius erat animi submissio, & erga magistrum obseruantia) non sibi adscribenda, sed Siluestro accepta dicebat esse referenda. Quocirca tametsi ex totius ordinis Parentis obitu magnum uideretur uulnus acceptum, magna cõsecuta solitudo, ingẽs filiorum orbitas ac moeror, ea tamen erat Ioannis comitas, ea in sermone conuictuq. suauitas, ut eius tum religiosae uirtutis exempla cum salubri doctrina coniuncta,

iuncta, tum ueneranda praesentia, Siluestri desiderium caeteris mitigaret. Magnus quidem erat multorum metus, ne de successore deligēdo aliqua inter fratres existeret forte dissensio. Sed Ioannes Dei prouidentia fretus atque alij qui meliora sperabant, quum se in preces totos effunderent, uti quem Deus elegisset, patribus commonstraret, eorum deprecatio diuinitus audiri uisa est. Nam summo patrum consensu, anno consequenti, die IIII. Ianuarii Iosephus electus est Actonis filius è Serra S. Quirici, & S. Vgonis germanus frater, eius nimirum Vgonis qui Saxoferrati innumeris est à Deo miraculis illustratus. In quibus illud ad memoriam insigne uisum est hic breuiter inserendum. Vgo enim uir planè sanctus, ut sui Prioris pareret imperio, ad operas aliquando profectus est alacer, quae diurna mercede conductae, materiam prope Saxoferratum oppidum caedebant. Paulo post eius aduentum illi siue caedendi labore defessi, siue calore fortasse, & solis appulsu aestuantes, uehementi siti laborare coeperunt. Ergo pocula flagitantibus placide Vgo respondit, Non modo nos uinum, sed aqua etiam plane defecit. Iis porro frementibus, & expostulantibus, ait. hanc molestiam quaeso uos propter Deum aequo animo ferte.

ferte. Ac ſimul ſecum ipſe tacitus, humique procumbens Deo ſupplicare coepit,vt ſitientibus operarijs pro ſua benignitate ſubueniret. Mox bacillo, quod geſtabat proximum lapidē percutit. Ex eo (res mira) magna vis aquae protinus erupit. Illi primo quidem tanto obſtupefacti miraculo,deinde à viro Dei veniam poſtulantes,quòd eſſent non modo conqueſti, ſed etiam obloquuti,ſitim,aqua è ſaxo orta diuinitus,expleuerunt. Ceterum Vgo,vt laudes, credo,humanas vitaret, inde ſe illico proripit, atque ad eumdem locum,vnde venerat,reuertitur. At operarii confeſtim ipſi quoque regreſſi, paſſim hoc prodigium euulgare coepere. Quocirca eò profecti quamplurimi,vt rem tantam oculis intuerentur,Dei laudes depraedicare, quòd Vgonis meritis tā perſpicua prodigia mortalibus exhiberet. Ergo etiam hodie, & fons idem perennis promanat aquae, & vulgo fons S. Vgonis appellatur. Verum,vt ad inſtitutam narrationem reuertamur. Erat Ioſephus ſumma quadam temperantia, & honeſtate morum,aequitate, prudentia, comitate, magnitudine animi, ceteriſque virtutibus ornatiſſimus. is demum, qui viri ſanctiſſimi Vgonis germani ſui veſtigiis inſiſtere conaretur. Ergo toti ordini ita quinque ipſos annos, ac

menſes

menses octo praefuit; vt iustitiae zelo succensus, religiosam disciplinam integram semper, sartam tectamque tuerertur. Anno vero post Christum natum, M. C C. LXXIII. Augusti mensis die tertio ac vigesimo, in coenobio S. Benedicti Perusiae ad superos euolauit. Cuius corpus inde ad coenobium, & eremum Montisfani relatum, ac iuxta S. Siluestrum prędecessorem est conditum: Vbi tantus est illi honos tum à fratribus habitus, tum vero à populo vniuerso; vt inde aperte satis, quae apud omnes resideret de eius, & anteacta vita, & beatitudine opinio, constare posset: quam tamen Deus certioribus indicijs ac miraculis declarauit. Quorum vnum hoc loco recensere sit satis, quod non ad ipsius modo sed etiam ad Ioannis gloriam spectat cuius gesta persequimur.

Vocem de Iosephi secundi Generalis Prioris Obitu Ioannes diuinitus audit. Cap. VIII.

IOSEPHVS enim vbi, vt supra dictum est; Perusiae in morbum incidit, multis astantibus fratribus praemonitis, diuinorum se mysteriorum armis pie sanctequę muniuit. Quumque iam eius salus, morbo indies ingrauescente,

uescente, etiam Medicorum sententia despe-raretur, mittitur ad Montemsanum, qui Generalis Prioris periculum nuntiaret. ex quo nuntio sane quàm vt aequum erat, magno sunt omnes moerore metuque perculsi. Ergo supplicatio indicitur: quòd ingens ordini vniuerso timeretur ex eius obitu perturbatio: simulq. ad eum visendum Frater Franciscus Auximanus cunctorum nomine transmittitur. Ioannes vero, qui erga Iosephum intimis sensibus afficeretur, noctem illam orando plorandoq. traduxit. Quum ecce tibi, nocte intempesta, claram audit ex aere vocem erumpentem FRATER IOSEPHVS FELICITER MIGRAVIT AD DOMINVM: prima luce, rem totam ceteris exponit. Praedictionem postero die certi nuntij profecti Perusia confirmarunt.

De sancti viri obitu, ac luce eiusdem praenuntia. *Cap. IX.*

CORPORE igitur Fr. Iosephi Generalis Prioris, vt par erat honorifice sepulto, monachi ad eremum Montisfani conuenientes, Fr. Bartholum Cingulanum in eius locum delegerunt: vno tantum Fr. Humili Perusino dissentiente, qui à religioso deinde instituto defecit.

defecit. Porro Bartholus quum annos quinque ac viginti nostro ordini praefuisset, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, tertio nonas Augusti Viterbij migrauit è vita. Eius corpus tametsi est illico Fabrianum deportatum, atque inibi sepulcro illatum: eius tamen successor Andreas Iacobi Fabrianensis, qui, & de rebus gestis S. Siluestri parentis omnium nostrum, & hanc de B. Ioannis vita scripsit historiam, Iosepho praedecessori cōsocians, in eodem tumulo condidit. Neque enim, vt ille ait, decere videbatur, vt quos idem gradus iunxerat dignitatis, eos locus sepulturae se iūgeret: & coenobium reliquorum nostri ordinis caput, cuique potissimum is viuus praefuisset, eiusdem demortui corpus desideraret. Ergo, vt eò narratio redeat vnde paululum deflexerat, Bartholus vir omni laude cumulatus Iosepho substitutus à patribus, dum tertius nostri ordinis gubernator clauum teneret, paulo ante quàm B. Ioannes, de quo agimus è vita discederet, vidit secundum quietem noctu solare quoddam iubar, quod inde vsque à sancti viri cella, per deuexum montis latus delabens, ad coenobium vsque Fabrianense protenderetur; ac per eam lucem simul aspexit indumenti genus nostri ordinis proprium, cucul-

Iamque gradientem. Experrectus Bartholus magnum aliquid breui euenturum praedixit: neque tamen tunc aliter, quid sibi vellet aut quid vidisset, aperuit. Non ita multo post Ioannes, quum dies ei aduentaret extremus, veteris vlceris recidiuo morbo, diuino consilio, percussus est: vt exiguus breuisque corporis languor sempiterno atque immenso gaudio compensaretur. Quare vt medicorum opera vti posset, è cella Montisfani in Fabriani coenobium, fratrum manibus defertur, ibique laborum suorum exitum coepit auidius praestolari. Quare quum morbi vis inualesceret rite sacramentis instructus, triumphum de huius vitae praelio referens, in caelum victor ascendit. Nempe hoc illud erat iubar, quod è Montisfani cella ad coenobium vsque Fabriani paulo ante vidit Bartholus pertinere, quandoquidem illuc est vir Dei à Fratribus deportatus: cuculla vero in crucis modum expansa eius vitam ostendit assiduis corporis doloribus poenisque vltro susceptis exercitam: quae nimirum in solis radio inambulare visa est, quoniam se se prodidit quamplurimis maximisque miraculis, vt ex ijs quae deinceps dicentur intelligetur.

Eius

Eius anima à tribus fratribus cernitur. Cap. X.

ERGO vir sanctus pridie eius diei, qui Annuntiatae Virginis sacer est, anni M. CC. LXXXX. spiritum Domino tradidit. & qui ad annos fere sexaginta in ea cella, tanquam in libera custodia latuisset inclusus, tandem ex illis angustijs ad amplissima, & amoenissima caeli regna translatus est Atque illico tanti sunt ad eum locum facti concursus, vt quamuis fratres optarent ceteros per eum saltē diem de eius morte caelari, nocte tamen tota, & consequenti luce templum fuerit populo refertum, vt eius corpus tangerent, religioseque venerarentur. Interea fratres etsi tanti Patris desiderio moesti (vt piae lacrymae testabātur) quòd eius tum consilijs tum exemplis mirifice iuuari solerent, eius tamen gloria laetabantur, quòd non in terris modo eius funus celebraretur, sed etiam in caelo sempiterna illi praemia crederent persoluta. Id quod etiam aperte Deus tribus ex eadem familia viris optimis indicauit. Nam delato in templum eodem die subvesperam eius corpore, quidam Frater Beneiacobi (id erat ei nomen) & Folcolus Fabria-

nensis, Mantia conuerso comite ad eas aedes reuersi, vbi vir sanctus decesserat, eam offendunt incredibili quodam splendore fulgentem: quumque obstupescentes ad eum locum, vbi is decubuerat, oculos conuertissent, eius animam viri specie cernunt, niue candidioris, genibus ad orientem positis, omni prorsus huius vitae molestia liberam. Ergo tantae rei admiratione permoti, reliquam noctem vigilando consumunt. Vbi dies illuxit rem omnem ceteris enuntiant, consentiente plane narratione, suspirijs pietatis religionisque plenissimis.

Ioannis corpus maximo populi studio sepulturae traditur, & miraculis quamplurimis illustratur.

Cap. XI.

NOCTE igitur illa ac postero die Annuntiatae Virginis festo in diuinis laudibus, summa populi celebritate ac religione traducto, consequenti nocte, è fratribus quidam, idoneus plane testis, diuinitus cognouit in somnis, tum demum sancti viri deprecatione ac meritis miracula passim coruscatura, quũ esset sacrum eius corpus terrae mandatum. Ergo altero die, qui Dominicam est incarnatio-

nem consecutus, frequenti populo, cum debita veneratione pijsque canticis nouo est in sepulcro reconditum. cuius virtus iam inde coepit crebris, magnisque prodigijs declarari. Ac primo quidem, passim plerique mortalium sancti viri studio commoti, vltro varijs cum donis, & quàm plurimis affuerunt: etenim opificum sodalitates sacras vestes ac cereos, ancillae, rustici, pueri pro se quisque varia certatim dona, & anathemata detulere. Quin, & Abbates plurimi, Praelati, clerici ad sanctũ corpus adeuntes, non modo illud sua praesentia cohonestare, sed etiam muneribus ornare voluerunt. Neque fuit quisquam siue Fabriani, siue in locis finitimis, vllius ordinis, conditionis, aetatis, quin aliquem, pro viribus, Beato viro cultum ac venerationem adhibere contenderit. Deinde vero miraculorum fama, remota etiam oppida vrbesque peruagata, multos ad viri sanctissimi opem implorandam excitauit. Ergo non modo varia munera religiose detulere: sed ipsi etiam, qui erant varijs morbis, & calamitatibus affecti mortales, diuersis ex locis ad B. Ioannis perducti sepulcrum, votis persolutis domum incolumes reuerterunt. ibi elephantiasi laborantes mundati, malo daemone obsessi liberati, caecis oculorum vsus, claudis pe-

dum restitutus, in vitam mortui reuocati. Harum autem rerum plane mirabilium non paucae sunt publicis tabulis, iuratisq. testibus consignatae: de quibus, antequam in altero libro fusius agam: operae pretium videtur praedictionem quandam proponere, quam de sacra aede S. Benedicto dicata Fabriani, vbi iam reliquiae huius viri sanctissimi asseruantur, ante quam area, in qua nunc est hoc templum, coemeretur, ab Oratore (hoc erat ei nomen filio Raynaldi de Insula didici. Id quod, etiam extructo templo, idem saepius iterauit, vir sane prudens ac fidei plenus. Is igitur quum aliquando me cum socio à Montisani coenobio profectum, perhumaniter Fabriani domum suam introduceret. Quin hasce aedes, inquit, coemitis Patres? siquidem hic templum aedificari necesse est. Id enim parenti meo fuit olim diuinitus praesignificatum. Sexcenties de Raynaldo patre meo audiui, quum diceret se hoc loco (locum autem certum indicabat) persaepe secundum quietem erectam aram esse conspicatum, quo frequens populus confluere videretur: illudque sibi crebro per annos quadraginta asserebat ostensum. Id vero nos hoc tempore videmus re ipsa perfectum. Quippe qui, & ibidem templum exaedificatum, & sepul-

crum

ctrum B. Ioannis à Baculo cernimus, & erectum altare, vbi res diuina peragitur: quod populi frequentia celebratur: in quo sancti huius viri meritis quàm plurima in hominũ genus à Deo beneficia proficiscuntur. Idem vero templum nuper ab Illustrissimo Cardinali de Bubalis pro sua in hunc ordinem propensa voluntate, ac studio, solemni ritu est, ac ceremonia consecratum. id quod inscriptio in marmore incisa testatur: quam hoc loco libet inserere.

ETEI META THN XΩTONIAN MDCV. MEN. OCTOB. DOMINICA II. DIE. IX ILLVSTRISSIMVS AC REVERENDISSIMVS D. INNOCENTIVS S. THOMAE IN PARIONE S. R. E. PRESB. CARD. DE BVBALIS EPISC. CAMERINEN. ROGATV D. IACOBI MERCATI A SCAPETIANO EREMI MONTISFANI, AC TOTIVS SILVESTRINAE CONG. PRIORIS GEN. HANC MONACHORVM SILVESTRINORVM ECCLESIAM ET ALTARE MAIVS SVB QVO CORPVS B. IOANNIS A BACVLO REQVIESCIT SOLEMNITER CONSECRAVIT IN HONOREM S. BENED. ET RELIQVIAS SS. MART. STEPH. LAVREN. BLASII, ET BONIFACII IN EODEM ALTARI INCLVSIT SACRASQVE INDVLGENTIAS DE MORE CONCESSIT.

Hactenus

Hactenus Inscriptio. sed quia hoc loco cum narrata praedictione aliquam videtur habere reliquiarum B. Ioannis translatio necessitudinem propterea ne eius memoria intercidat, paucis eam consequenti capite persequemur.

De reliquiarum B. Ioannis à baculo translatione. Cap. XII.

FR. Andreas, qui ante annos octoginta quatuor supra ducentos vitam beati huius viri conscripsit, in epistola initio praefixa ad Fr. Frãciscum Auximanum per id temporis priorem, & ad monachos tum nostri coenobii Florentini, quod à S. Marco nomen accepit, Beatum Ioannem à baculo testatur ad Montemsanum in cella, abiudicatis à se caducis rebus omnibus, perpetuam operam Deo ad annos sexaginta pie sancteque nauasse. Quocirca si eos quoque Deus vnice diligit, à quibus vel ad breue tempus religiose colitur: ac tum viuos tum mortuos magnis muneribus remunerari consueuit: aequum est, vt qui in eodem colendo quam diutissime perstiterunt, eo etiam amplioribus praemiis afficiantur. Et quoniam praeter ceteros honores, qui sanctorum virorum reliquijs deferri solent, earum translatio non

videtur

videtur in postremis esse numeranda, id honoris quoq. Deus voluit beati viri reliquiis exhiberi: qui dum in terris vixit diuinum numen semper est summa pietate ac diuturnis officijs prosequutus. Quapropter etsi in praecedentis inscriptione capitis dicitur sub ara maxima B. Ioannis corpus esse collocatum; pio tamen lectori non videtur ignorandum, haud hunc esse locum atque aram, vbi olim sacri eius cineres asseruabantur. Etenim in eodem S. Benedicti templo supra postremū altare ad sinistram partem prope ianuam, initio conditae fuerant in perhonesto ac decenti Sarcophago. Quo ex loco deinde, longo tamen interuallo, nimirum anno millesimo quingentesimo nonagesimo, die vigesimo primo *M*artii qui dies B. Benedicti sacer est ac solemnis, quo maior honos huic nostro haberetur, ad catacumbam, sub aram primariam solemni supplicatione translatae sunt: vbi iam honestius asseruantur. Vt autem ante hanc translationem quotannis, quo die B. Ioannes migrauit in caelum, frequentes tum viri tum feminae ex pago Paterno, quae fuit sancti viri patria, vt suum ciuem venerarentur, ad sacras illas aedes, reliquiasque visendas confluebant: ita post eius translationem eamdem pietatem ac ceremoniam retinuerunt.

Porro

Porro autem cum his de pietate certat in eundem reliquus Fabrianensis populus, qui nullis profecto agri Piceni populis concedit in Deo caelitibusque religiose colendis. Vt propterea fortasse tum alijs permultis à Deo beneficijs affectus, tum veluti duobus hisce thesauris longe opulentissimis donatus esse videatur, sacris videlicet pignoribus duorum ordinum institutorum S. Romualdi Camaldulensis, & S. Siluestri nostrae familiae parentis, quae ab ipso Siluestrinae cognomen est adepta.

DE MIRACVLIS B. IOANNIS A BACVLO.

Liber Secundus.

VENERABILIS Pater Dominus Rambottus Camerinensis Episcopus, ne qua dubitatio suboriri aliquando posset de iis, quae supra naturae vires, B. Ioannis meritis, patrata diuinitus ferebantur, sed certa quae essent, & explorata, constaret, suam quoque censuit auctoritatem interponendam. Quocirca Sauerium Artinisij Fabrianensem, iurisperitum, & in eiusdem oppidi Ecclesia primaria Canonicum, ac Ioannem de Somaregia, virum honestate morum prudentiaque conspicuum, in B. Ioannis miracula constituit inquisitores; vt de iis iusiurandum à singulis ad quos pertinerent, exigerent, & idoneorum testium depositiones exciperent, quibus Iudicibus alios item duos Ildibrandinum de Clauellis, & Moricutium Benencasem viros graues adiunxit. Porro ij fideliter, vt aequum erat, adhibita opera Tincti Vegnatii scribae publici, permulta quidem

iuratis testibus comprobata miracula publicis monumentis solemni ritu tradidere. Verum cetera prope innumerabilia siue taedio Inquisitorum, siue librariorum defatigatione consignari litteris minime potuerunt. Quanquam nonnulla praeterea sunt iisdem Iudicibus absentibus, à Fr. Bartholo nostri ordinis, Priore tum Generali, recepta, de quo supra dictum est, & à Fr. Ioanne de Staphulo qui proprius erat eius coenobii Prior. Ex quibus omnibus hoc loco quaedam breuiter describentur.

Genu diffractum curatur. *Cap. I.*

ERGO (vt ordiamur ab illustri miraculo, quod eodem die contigit Annuntiatae Virgini sacro, antequam sancti huius viri corpus terrae mandaretur) Giliolus Venturae ex oppidulo S. Donati (quod oppidulum est in Fabriani ditione) quum materiam caederet, tanto ictu sibi ipse per errorem genu securi percussit, vt patella quae dicitur, bifariam finderetur. Quare curationis gratia se ad chirurgum, cui nomen erat Mercatus, deportandum curauit. Is inspecto vulnere, os diffissum esse pronuntiat, ac proinde id Giliolo, quoad viueret, impedimento futurum quo minus pos-

sit

ſit incedere. Qua denuntiatione triſtis iſte inopſq. conſilii domum reuectus, dum quid agi poſſit, exquirit, ecce tibi, rerum admirabilium, quae ad B. Ioannis funus diuinitus aſſidueque contingerent, ad eius aures fama peruenit. Quare magna ſpe ac fide concepta, ſe ad ſancti viri ſepulchrum poſtero die deferri voluit: quumque inibi aliquamdiu iacens, Deo ac B. Ioanni vota faceret, vim lacrymarum profundens, repente ſurrexit incolumis, atque in eodem templo, inſpectante populo, Deique laudes propterea celebrante, coepit ab omni vulnere, vulneriſque dolore liber incedere. Porro ea tum res eſt per idoneos teſtes ac iuratos comprobata.

Muto eidemque Surdo, & loquendi facultas redditur, & audiendi.
Cap. II.

EODEM die Corradutius Bartholutii Raynerii iuratus dixit ſe quum quatuor iã annos, & eo amplius audiendi ſimul, & loquendi facultate caruiſſet, ad B. Ioannis tumulum aliquandiu conſtitiſſet, ac voto ſtudioſe, pieq. concepto, confeſtim aurium ac linguae perfectam valetudinem recepiſſe. quapropter, & ſe

is

is voto protinus liberauit, & rem totam testes idonei confirmarunt.

Caeca mulier manu B. Ioannis oculis admota visum recipit. Cap. III.

BLANCA vxor Accurtoli cum Florentia filia, & Bona Sauarelli coniuge, die Aprilis nono ad eamdem aedem profecta, coram multis iurata narrauit, se, ob diuturnos capitis dolores oculorum vsu orbatam, vt neq. colores internosceret, neque dispiceret vtrum linum crassum esset an tenue, nummus probus an adulterinus, caelum nubilum an serenum. Vt vero Beatum Ioannem accepit ex hac vita migrasse, statim curasse se ad S. Benedicti templum deducendam, ante quam sacrum illud corpus in sepulcro conderetur. Quod cum factum esset, vbi propius ad eius manum deosculandam accessit, eam apprehensam caepit aegris oculis affricare. Res mira continuo, Dei nutu, & sancto viro fauente clarius etiam quam ante caecitatem, cernendi vim recipit, & capitis dolor omnis abscedit. Quocirca eodem ipso die publice Dei beneficium tum ipsa praedicauit, tum comites palam suo testimonio confirmarunt.

Caeca

Caeca mulier visum recuperat. *Cap. IV.*

BENVENVTA vxor Accurrimboni Rigoli, complures menses, ex oculorum vitio aspicere nihil omnino potuerat. Quae quum accepisset Beatum Ioannem ex hac vita migrasse, altero post ipsius in Caelum profectionem die, ad eiusdem sepulcrum religiose profecta est. Ibi autem pernoctanti sub horam matutinam vis est cernendi B. Viri patrocinio restituta. Id quod est, & ipsius Benuenutae iureiurando, & aliorum testimonio multisque praeterea argumentis comprobatum. Ipsa vero persoluto voto domum laeta se recepit.

Apostema subito diuinitus extersum. *Cap. V.*

IOANNA Angeli, Eugubina eodem anno, ac mense Martio, ex tetro ulcere in natibus exorto, quod in tria capita eruperat, neque se in pedes erigere, neque usquam progredi poterat, nec tamen illud prae uerecundia medicis audebat ostendere. Verum, quum ad eius aures rerum admirabilium à B. Ioãne gestarum

fama peruenisset, qui per eos dies Fabriani decesserat, religione ac fide succensa, cum profusis lacrymis rogare coepit, ac se ad eius altare uenturam polliceri, cereumque delaturam quod suae staturae longitudinem adaequaret. Quibus uotis rite nuncupatis, non ita multo post, & ulcus prorsus abscessit, & ipsa incolumis Fabrianum uenit, cum sua ciue Florutia, quae idem suo quoque testimonio comprobauit. Quamquam multa praeterea in hoc genere diuinitus contigere, quae non sunt publicis monumentis consignata. Vt uideatur praepotens, & clementissimus Deus non obscure significare uoluisse, quàm grata ei fuerit sancti uiri diuturna patientia in cruris ulcere, & claudicatione perferenda, qua iam inde ab adolescentia perpetuo laborauerat.

Aliud Apostema voto sublatum. Cap. VI.

FRANCISCA Benuenuti uxor, mercium propolae, prae abscessu quodam ualde periculoso triginta iam dies, & eo amplius neque incedere poterat neque recta consistere. Quare accitus Chirurgus iubet malagmate apostema molliri, & ad incisionem praeparari.

nam ſine ferro negabat curari poſſe. Expauit mulier, & inciſionis horrore conterrita, quò ſe verteret, neſciebat. Veruntamen illuxit ei tandem caeleſtis medici ſalubre conſilium, quod eam religionem B. Ioannem fiduciaque compleuit. Quare quum ei pia vota feciſſet, nocte proxima, nullo adhibito humano remedio, valetudini diuinitus reſtituitur, atque ipſamet ad ſepulcrum ſancti viri profecta, votum exſoluit, cui tantum beneficium, ſecundum Deum, referebat acceptum.

Claudus curatus. *Cap. VII.*

VAGNES Guidi Filius Senenſis quatuor menſes, vt ipſe coram iiſdem iureiurando teſtatus eſt, maximis genu ſiniſtri tumefacti doloribus vrgebatur. Itaque propterea claudus effectus aegre nec ſine magno conatu ad aedē S. Benedicti, Aprili menſe, poſt B. Ioannis obitum proximo, defertur. Ac ſumma cum religione eius adito ſepulcro, praeſens Dei auxilium opperiebatur. Ita inibi pauliſper immoratus, ab omni penitus tumore ac dolore liber Dei ac beati viri benignitate diſceſſit.

Claudus idemque debilis, minusque perspicue cernens curatur. Cap. VIII.

GVERTIVS Iudinelli ex oppido Pergula, ad annos vnde viginti, sinistra corporis parte ita erat, crure praesertim tumefacto, grauiter affectus: vt non modo claudicare cogeretur: sed neque sine ingenti dolore posset incedere, & sinistrae manus, brachij, digitorum penitus officio destitutus, aegre etiam cerneret ac subobscure. Is, quum vota Deo beatoque Ioanni rite nuncupasset, continuo est eiusdem auxilio ab illa graui aegritudine diuinitus ereptus.

Leprosa mundata. Cap. IX.

MVLIER quaedam, cui nomen erat Altaneue è S. Aemiliano duabus alijs comitata feminis, Flora scilicet atque Marcilla, Fabrianum, die mensis Aprilis duodecimo peruenit. Quae omnes iuratae narrarunt Altaneuem in morbum quemdam incidisse: ex quo deinde ita lepra vltra vndecim menses oppressam, vt facies intumesceret, & pellis ex facie praeterea saepe decideret: adeoque deformi

rubore

rubore perfunderetur; vt in eam intueri ceteri perhorrefcerent. Pridie igitur eius diei, hoc eft Aprilis vndecimo, ad reliquias beati viri pernoctans, quum opem ab eo fupplex peteret, ac vim lacrymarum profunderet, quòd nullam fuorum malorum leuationem in humanis remedijs inueniret, eadem nocte Dei virtute ac fancti viri benignitate, leprae vitium corporifque labes omnis mundata eft. Quare tum ipfa, eiufque comites, tum ceteri qui aderant, pro tanto beneficio maximas Deo beatoque Ioanni gratias perfoluerunt.

Aeger tumefactus valetudini reftituitur.
Cap. X.

PASCHALIS quidam Florentinus indigena, fed Efinus inquilinus multis praefentibus iuratus expofuit fe vigefimo Aprilis die proficifcentem cum Efinis quibufdam, & cum Muricutio Giunthae Fabrianenfi ad praedium, quod *M*ollie tum vulgo nominabatur, vt Ricardum Tornutij ibidem occifum afficerent fepultura, ingrauem propterea incidiffe morbum ex nimio videlicet aeftu, & cadaueris foetore contractum. Quare quum ei venter intumuiffet, torminibus acerrimis affictabatur,

tur, vt se prope abesse ab interitu crederet: quumq. nullius sibi consilium, aut medicorum remedium prodesse sentiret, ad opem diuinam beatique Ioannis patrocinium confugiendum ratus, fiduciae speique plenus recepit se si ex eo morbo liber euadat, resti ad collum appensa, Fabrianum ad ipsius iturum sepulcrum, illudque cerea candela venerationis ergo vndique praecincturum. Quae quum vota fecisset, illico somno corripitur, deinde experrectus, praepotentis Dei munere beatique viri suffragio surrexit incolumis.

Coniectus in vincula diuinitus eripitur. Cap. XI.

PVZZOLVS Michaelis Filius, Eugubinus, dum fabrilem artem Saxoferrati exerceret, in rixa Iuanum Benintendi filium eiusdem oppidi indigenam tum in capite tum in humero ita grauiter gladio percusserat, vt is ex vulneribus extremum vitae discrimen adierit. Quapropter comprehensus, & inclusus in carcerem, veritus, ne si percussus interiret (id quod omnes futurum arbitrabantur) ipse capite multaretur, persaepe se è compedibus expedire, sed frustra, conatus est. Ergo ad opem

diuinam

diuinam implorandam conuersus, beato Ioanni quàm studiosissime supplicat, vt se de illa tetra custodia, & vinculis eripiat. Mirum dictu. Concepto voto, sub vesperam, die Dominico, extremo Aprili mense, vltro compedes relaxati, & vincula soluta ceciderunt, atque ita è custodia liber euasit: vt ipsemet postea coram iisdem Inquisitoribus iuratus asseruit. Egressus igitur è carcere diuinitus, in angulum se oppido abdiderat: quum ecce tibi apparitores quàplurimi magistratuumque lictores fugitiuum quaeritantes vicos omnes plateasque curiosius perscrutari: Qui ad eum ipsum quem quaerebant, proxime, cum facibus, accedentes, non modo eum non tenere, sed ne cernere quidem vel agnoscere (beato nimirum Ioanne clientem suum protegente) potuere.

Femina brachio debilis, subito diuinitus persanatur. Cap. XII.

CLARA mulier ex castro quod appellabatur Vrsariae, plus octo annos ita magnis doloribus affligebatur, vt altero brachio nihil prorsus agere, neque illud sine alterius brachii adiumento posset attollere. Quumque opem à beato Ioanne saepius expetisset, tãdem

Kalendis Maii noctu secundum quietem eum se compellantem audiuit his verbis. Vis ne mulier ex istis doloribus eripi? Immo vero, inquit illa, vir sancte, & volo, & supplex oro. Tum is. Ito, inquit, ad Montemsanum: cito sanaberis. Ergo prima luce consurgens, quo erat iussa, contendit. Ibi sacras contemplata reliquias, quae per eum diem, solemni ritu confluentibus populis ostenduntur, beati Ioannis cellam, quae à multis indicabatur, agnouit. Verum quia cellam ipsam ingredi non licebat, magno studio erga sanctum virum pietatis incensa, in cellae fenestram, quae ad peristylium siue claustrum coenobii spectabat, manum aegram brachiumque, ab aliis tamen adiuta, & suffulta coniecit. Proinde statim sancti viri praesens auxiliũ experta, brachium consanatum, manumq. valentem retraxit: & in Dei sanctique viri laudes coram plurimis qui aderant, prorupit exultans.

Strumosus

Strumosus curatus. Cap. XIII.

TINTVS Gratoli strumam (vulgo scrofulam Itali dicunt) auellanae nucis magnitudine, in dexterae manus carpo siue maxima iunctura gestarat sesquiannum. Ad eam curandam plumbo adhibito ab Andrea Chirurgo, post mensem ad tempus est compressa. etenim non ita multo post, eadem in tres alias glandulas erupit, quae homini erant non exiguo vel impedimento vel oneri. Quare veritus ne sibi maius aliquod ab iis periculum crearetur, pie se atque ex animo beato Ioanni commendat, & feria quincta, qui dies fuit Maii septimus vota precibus addit. Mirum dictu. Feria sexta, hoc est die proximo, strumas Deo auctore sanctoque viro deprecante radicitus euulsas esse conspexit.

Lateris dolor depellitur. Cap. XIV.

IACOBVTIVS Iacobi Pisaurensis sancte iurauit se annis amplius duodecim tantum sinistri lateris dolorem esse perpessum, vt prorsus impediretur, quominus laborem vllum sine vitae periculo ferre, aut visitatis posset fungi

gi muneribus. Is ergo quum ad ſepulcrum ſancti viri ſe contuliſſet, ibique ſpei plenus ac pietatis, vota feciſſet, illico eiuſdem opem, quem implorauerat atque auxilium praeſens eſt expertus: vireſque priſtinas recuperauit, omni prorſus lateris dolore profligato.

Amputatus digitus nullo relicto vulneris veſtigio curatur. Cap. XV.

LAETITIA Iacomelli Peroni vxor coram Fr. Bartholo tum Generali noſtri ordinis in coenobio S. Benedicti ad Montemtanum commoranti, cuius viri mentio ſupra eſt facta praecipua, iureiurando affirmauit, ſuum filium Iunctarellum nomine, menſe Iunio, die quodam Dominico ſibi ipſi digitum ſiniſtrae manus per imprudentiam cultello praecidiſſe. Itaque moerentem ſe amputatum filii digitum ſepeliſſe. Veruntamen, fama rerum admirabilium à B. Ioanne geſtarum audita, vouet, ſi puer, nulla deformitate relicta, ſanetur, ſe ad eius monumentum profecturam (erat enim ex oppidulo ſiue Pago Petrono Eugubinenſis ditionis) & ob Dei atque ipſius venerationem, congruentiam munera delaturam. Quum igitur pueri digitus, Dei virtute, ita ſancto viro pro-

promerente, esset continuo personatus, nullo praecisionis vestigio, cicatrice nulla remanente, exhilarata mater, & beneficii votique memor Fabrianum venit, atq. immortales exanimo gratias Deo ac beato viro persoluens, fidem suam liberauit.

Cranium confractum curatur. Cap. XVI.

VIR quidam Iuders, cui Puzzolo nomen, Floris filius quum per plateam Fabriani trāsiret, iactu lapidis vulneratus in capite, Corradum Chirurgum accersit. Is perspecto vulnere, seuere pronuntiat, curari nullo modo posse, nisi ferro caput (siquidem os confractum putabat) aperiatur: attamen valde dubitare se, verum, ea etiam ratione, mortis periculum vitari queat. quare amice se illi suadere, vt opem diuinam sanctique Ioannis imploret, qui & huiusmodi beneficia daret, atque his maiora mortalibus. Ille uero, Medici haesitatione perspecta, incisionisque metu perterritus, trepidare primo, deinde uero de sequendo Chirurgi consilio, serio cogitare. Statim igitur Dei ac sancti uiri benignitate confisus, eidem uota de recuperanda ualetudine facit: ac repente, uulnere

is qui nullam partem quietis paulo ante capere poterat, ac ne lucem quidem aſpicere, ſomno refici coepit, conquieſcere, facillime cernere. Quae vera eſſe omnia, idem quoque Corradus medicus iureiurando teſtatus eſt. Puzzolus vero, & gtatias Deo, & vota diſſoluit,

B. Ioannis tunicae particula vulneris tumori medetur. Cap. XVII.

PVZZOLVS Munaldi cum tribus alijs iuratis teſtibus, coram iiſdem inquiſitoribus iureiurando confirmauit ſe triennio ante ſagitta percuſſum infra humeros grauiter. & quamquam curatum vulnus primò videbatur, reuera tamen vulneris reliquiae manſerant. Quocirca non ita multo poſt cicatrici tumor, glandis inſtar, eſt obortus; deinde vero ita ſuccreuit, vt anſeris ouum adaequaret, neque aliter, niſi inciſione, ſanari poſſe videretur. Quare Clarae ſororis ſuae conſilio, & cohortatione, ſupplex ſe B. Ioanni commendat. Quumq. ſoror tunicae ſancti viri particulã, ſalutari ſigno crucis cum eadem adhibito, tumori applicuiſſet, confeſtim non tumor modo, ſed aegritudo omnis euanuit: vt ne cicatricis quidem veſtigium vllum reſideret.

Os brachij consolidatum, & in suum locum restitutum. Cap. XVIII.

FRANCISCVS de Pozzala Agapiti Columnae domesticus viri primarii, quique tum Picenum Sanctae Romanae Ecclesiae nomine administrabat, iuratus affirmauit, se ante decennium, quum esset in castro, cui Petrafortis nomen, ita graui casu delapsum, vt osse sinistri brachii à proximo osse disiuncto grauissimis doloribus afficeretur assiduae. Quocirca saepius deinde, medicorum opera, & consilio adhibito, inter eos tandem conuenisse, vt negarent vlla ratione os illud posse cum altero coagmentari: quum tanto interuallo nullum esset remedium attentatum. Quum autem aliquãdo cum eodem Agapito Columna, de quo supra dictum est, Fabrianum venisset S. Benedicti templum ingressus, Beato Ioanni, cuius ibi sunt reliquiae conditae, quanta maxima religione ac fide, faculam ceream vouet. Nec ita diu inibi substitit, quum à diuturnis doloribus omnino liber, & osse in suum restituto locum, gratiis Deo ac Beato viro actis, vota dissoluit.

Mulier ex grauissimo ac diuturno morbo diuinitus erepta. Cap. XIX.

BENVENVTA Iacobi Bartholi coniux ex Eugubinensi ditione, in grauissimum quemdam inciderat morbum, quo nouem ipsos annos laborauit. Ita enim vehementer ea aegritudine premebatur, vt saepe plures dies, cibo ac potu penitus abstineret, ac furore atque amentia percita, è lecto consurgens, vias, & plateas vociferans, & nuda concursaret. Verum quum per interualla ad se rediret, & ea quae fama ferebantur de B. Ioannis miraculis cognouisset, ei religiose pollicetur, quoniam nihil sibi medicorum cõsilia prodesse intelligeret, si ea, qua valebat apud Deum gratia ex tetra illa aegritudine eriperetur, ad ipsius aedem ac sepulcrum nudis pedibus, profuturam, cereamq. imaginem allaturam. Quo voto concepto, protinus, Deo annuente beatoque viro suffragante, valetudinem recepit, omni prorsus morbo depulso. Quae omnia tum ipsamet in eiusdem templi Sacristia, tum idem Iacobus Bartholus vir eius iureiurando coram delectis Iudicibus affirmauit.

Puella

Puella paralytica persanata.
Cap. XX.

ANDVSIA puella, Corradutij, & Clarae filia, sex menses, neruorum resolutione, ac sinistro praesertim latere debilis, ne manum quidem ori poterat admouere, neque vsquam, vt solebat, incedere, neque consistere. Quamobrem ipsius pater B. Ioanni, si filia curetur, sanctè promittit, ceream imaginem se ad eius altare delaturum, illudque candela praecincturum. Quo voto rite nuncupato, puella confestim valetudinem recipit. Quam deinde iudices iidem, aliique quamplurimi facillime brachium attollentem, expediteque loquentem, ac per sacras S. Benedicti aedes, quò eam parentes incolumem deduxerant, libere ingredientem conspexere.

Epilepsia puer liberatur. *Cap. XXI.*

CHIERA vxor Villanutij ex Roccacontrata (id oppido nomen est in agro Piceno) Fabrianum venit religionis ergo ac pietatis in B. Ioannem: secumque filium comitiali morbo laborantem duxit; vt eum sancti viri

beni-

benignitati ac fidei commendaret. Eum enim iurata testabatur se propter morbi vim exhalaturum animam saepius existimasse. Quippe modo duo deuicesies in die epilepsia solitum occupari, modo (vti Deo placuisset) rarius, aut etiam frequentius. Quum igitur ad Beati viri sepulcrum adstitisset, vna cum filio ita grauiter affecto: sancte recepit, si filio sanitatem redderet, se ipsi fore semper addictam, & ceream arae imaginem imposituram, filiumque ipsum eius patrocinio dicaturam. His votis rite nuncupatis, illico puer est, Dei concessu ac munere, valetudini penitus restitutus. Mater vero Bartoluccium (id enim erat antea filio nomen) Ioannem deinceps voluit appellari. Porro his rebus non ipsa modo, sed etiam Philippus Argulantes, & Riccabella eiusdem Philippi coniux solemne testimonium dederunt.

Alter epilepticus persanatus.
Cap. XXII.

GILIOLVS Bartholi ex oppidulo Esinae ditionis quod vulgo S. Nicolaus Cāpilongi dicebatur, plus decem annis, morbo comitiali, ter interdum, sexies alias in die ac decies, affligabatur: vt quo die ita vexaretur, & con-

& consequenti,nihil omnino agere posset. Verum praecipua religione ac studio erga beatum Ioannem permotus, apud eius tumulum voto se obstrinxit: pollicitus fore, vt si permolesta illa abigeretur epilepsia, imaginem ceream ad ipsius altare deferret. Quo voto rite suscepto, nempe, Deo id sancti viri meritis ac precibus concedente, perfectae valetudinis beneficium est adeptus.

Sanatur herniosus. Cap. XXIII.

PETRVS Boetij ex oppido, quod à S. Anatolia nomen accepit, plus biennio hernia diruptus, ita premebatur, vt solita munera, sicut antea, exequi non posset. Quamobrem, quum pio cōcepto voto ad B. Ioannis tumulum adstitisset, illico sancti viri meritis, pristinam valetudinem recepit.

Mulier humeri dolore liberata. Cap. XXIV.

AGNES coniux Accursutij Petri, quum quatuor, & eo amplius annos prae sinistri humeri aegritudine brachium, attollere nullo modo posset, simul ac Beato Ioanni sancte

promisit se pridie eius diei, quo migrauit in caelum, rite ieiunaturam si curaretur; continuo sanata erat. Quumque viro suo rem totam enarrasset, is eam hortabatur, vt honorem Deo deferret, & acceptum beneficium ad sancti viri aram publice profiteretur. Illa vero, Malo, inquit, eadem aegritudine affici, quàm ita coram populo sisti. Vix haec verba protulerat; quum eam repente intolerandus atque incredibilis dolor inuasit, & eiusdem humeri dolore ita denuo discruciari coepit, vix vt vsquam consistere, aut exiguam quietem capere posset. Ergo parturientis instar vociferari, sancti Ioannis opem humilibus precibus implorare. Ita vel necessitate adducta sancte pollicetur se non modo votum rite ac fideliter esse reddituram si denuo conualescat, sed ingrati animi vitio repudiato, publice se testimonium veritati daturam. Neque vero vir sanctus vsitatam clementiam diutius tenuit; quin statim vt mulier ea vota rite iterauit, renouatum quoque dolorem omnino discussit, ipsa uero, nulla interposita mora, uotum exsoluit. Ac geminatum experta miraculum, illud ex monachorum iudicumque praescripto, publice in templo promulgauit.

Mulieri

*Mulieri hecticae, & hidropicae sanitas resti-
tuta. Cap. XXV.*

GAVDIANA vxor Cotanatii Serrae S. Quirici incola, Coldamato tamen oriunda, quum varijs affecta corporis doloribus se ad beati Ioannis tumulum equo contulisset, inde ad suos sana reuerterat. Verum, aliquo temporis interuallo, in morbum arcano Dei consilio, priore grauiorem reciderat. Nam lenta febricula, quam hecticam Medici dicunt, & simul aqua inter cutem laborare coepit, vt ijdem Medici opinabantur. Quorum consilijs quum se nihil iuuari animaduerteret, ad exploratum perspectumq. sibi antea sancti viri auxilium confugiendum putauit. Ergo creberrimis illum precibus implorabat. Isque tandem nocte quadam dormientem compellans. Quomodo, inquit, te habes mulier? Illa vero, male, ò sancte Dei, Turris: Ne dubita sanaberis. Aliquot autem post diebus, quum eam acrius solito aegrotationes vrgerent, & prae dolore ac moerore sanctum virum studiosius inuocaret, Ecce tibi idem peruisum iterum. Vt vales, ait, mulier? At ipsa. Nunquam deterius, inquit, Vir Dei sancte, neque sane possum sic affecta

ſalute ſollicitae tandem venit in mentem Beato Ioanni vota facere, tot iam prodigiis ac miraculis claro. Quapropter, ſi à filio hydropiſim depellat, & ſemper ſe eiuſdem ſtudioſam fore clientem, & candelam filii altitudinem adaequantem in eius altari collocaturam pollicetur: Quibus votiuis precibus fuſis, Corradus ſanus effectus, candelam quidem offerendam cenſebat, beneficium tamen ſanitatis acceptum in vulgus nolebat indicari. quumque in iiſdem ſacris aedibus haec maxime iactaret, ingrati animi poenas dedit. Etenim eum continuo ſtomachi acerbiſſimi dolores inuadunt, vt nihil omnino guſtare poſſet, ne vinum quidem, ſine graui moleſtia. Quapropter, & illum admiſſi ſceleris poenitentia ſubiit, quòd beneficia diuina, ut ceteri, profiteri renuiſſet: & moeſta mater ceream praeterea imaginem ſanctae promittit. Ergo voto à matre in hunc modum iterato, & amplificato, confeſtim filius eſt ab omni illa vexatione atque aegritudine vindicatus.

Ruſticus beati viri miracula eludens punitur à Deo. Cap. XXVI.

QVAM plurima in dies ac varia beati Ioannis meritis, pro expetentium fide, admi-

randa non in hominibus modo, verum etiam in ratione carentibus efficeret benignissimus ac praepotens Deus: increduli tamen multi non deerant, qui huiusmodi rebus obtrectarent, & aliorum fidei obstrepere auderent. In his quidam rusticus, cui nomen Petrus Vegnati, oriundus ex pago, qui vulgo tum Chingi dicebatur, quum aliquando ex feminis audiret, diuinam virtutem etiã in earum animantibus mutis saepenumero ac pullis ostendi, vbi sancti viri auxilium imploraretur, verba effudit huiusmodi. Vomerem enim siue cultrum manu tenens. Venite, inquit, mecum. nam volo vt S. Ioannes, qui in animalibus res miras exercet, & pullis, hunc mihi cultrum seu vomerem dirigat. Porro dum haec per dicacitatem ac derisionem diceret, & manu interea leniter bouem tangeret, quem tum fortem in agrum ducebat, (mirum dictu) continuo bos ante rustici pedes exanimatus corruit. Quapropter ex eo tempore omnes cauere sibi, & vel poenae metu deterriti ab eleuandis, & irridendis beati viri miraculis diligenter abstinere caeperunt.

Quidam

Quidam ex latronum periculo ereptus. Cap. XXVIII.

CIVIS quidam Clusinensis iter faciens, necessario per aspera quaedam, & praerupta loca transiturus erat, & infesta latronibus. Quem tamen complures contestati monuerant, ne illac pergeret, nisi vellet vel dispoliari vel occidi. Is tamen, quum nec eò quò tendebat alia via peruenire posset, neque loca suspecta declinare, quum ad ea iam propius accessisset, ecce tibi duo ex illis grassatoribus aduersus eum concitato cursu feruntur: At is ingenti pietate atque ardore animi B. Ioannem implorat, recipitque se, si tantum discrimen euadat, ad ipsius tumulum religiose venturum certique ponderis ceram allaturum. Mira res, ac praedicatione dignissima. simul ac enim votum rite concepit, duorum latronum alter quidem protinus in terram corruens non potuit inde consurgere; alter vero lapidi pedem allidens non est vltra progressus. Atque ita viator periculo ereptus Beati Ioannis deprecatione Deoque bene iuuante, iter confecit incolumis: & Fabrianum veniens ac sancti viri monumentum inuisens vota dissoluit.

menses, & eo amplius ita laborabat; ut nusquã conquiesceret. quin etiam oculos assidue distorquebat: neque vlla medicorum opera vel consilio iuuabatur, Quocirca mater, inito salubriore consilio, ad B. Ioannis tumulum filiam ducit. Quae aliquantisper inibi demorata, dum bacillum contrectaret, quo viuus inniti solitus erat, ac pie deoscularetur, repente conualuit, ingentique gaudio persusa, vnà cum matre domum reuertit.

Mulier viri sancti miracula deridens, poenas dedit: dein resipiscens veniam impetrauit. Cap. II.

BRVNA Oradutii Matthaei coniux, quum aliquando ad S. Benedicti sacras aedes iuisset, ut audiret, quae diuinitus ibi fiebant, rogauit Fr. Bonauenturam eiusdem ordinis monachũ, quidnam illud esset, quod tum erat forte publice recitatum: Is vero, feminam quãdam ait grauibus doloribus quos erat perpessa diutius, liberatam. Bruna vero nulla fide neque monachi verbis habita, neque tum promulgato miraculo, primo quidem secum ipsa, deinuero domum reuersa in hunc modum sancti viri ridere prodigia. Feminae omnes ad S.

Benedicti profectae, aiunt se nescio quibus doloribus affici: eaedem postea dicunt se B. Ioannis virtute ac potestate sanatas. Quumque haec maxime iactaret, & simul cachinnaretur, diuinam iustitiam sensit ultricem. Tanti enim eam repente dolores inuasere, vt parturientis more triduo ipso grauissime cruciaretur. Ergo ad se rediens, cogitare coepit ea se merito pati, quòd ita temere atque impie beato viro ausa esset illudere. Quocirca sapienter mutato consilio, quanta maxima potest reuerentia, & animi dolore ob eo veniam ac pacem petere, bacillumque in angulo domus nacta, eius nimirum loco, quod ipse in vita gestauerat, summa veneratione corpori laboranti admouere, deosculari, cum eo ipso sibi sacrosanctum signum crucis imprimere. Dum haec maxime ageret, ex templo dolor omnis abscessit. Ita quam poenam superbia, & impietas conciliarat, eamdem animi submissio ac pietas propulsauit. Ipsa vero suo malo docta sanctum virum deinceps sanctissime coluit.

Daemonum legio B. Ioannis baculi contrectatione fugata. Cap. III.

AGATHA Compagni Cerretensis ab improborum legione daemonum annos duodecim

duodecim,& eo amplius obsidebatur, quum se ipsimet esse modo sex ac sexcentos supra sex millia, modo aliter affirmarent. Qui eam supra quàm dici potest excruciantes, neque sacras aedes ingredi sinebant, neq. boni aliquid agere. Ergo mulier, quae ita premeretur, perducitur atque adeo pertrahitur ad beati Ioannis tumulum, die Aprilis tertio, hoc est nono postquam emigrarat in caelum. Ergo dum illa inibi consisteret, simul atque est bacillo tacta, quod is gestare solitus erat, & cum eodem scipione salutare signum crucis adhibitum, repente omnis illa spirituum nequissimorum turba, Dei nutu ac beati uiri meritis, est eiecta.

Attactu item baculi altera energumena liberata. Cap. IV.

LVCIA Bartholutij coniux, in Oppido orta Bergatano iurata corã multis asseruit se annos amplius quinque ab improbis daemonibus, qui eam inuaserant, excruciatam, ut saepe ne cibum quidem capere finerent. Denique octauo Aprilis die, ad B. Ioannis monumentum adductam, statim ut eius baculo tacta, & signo crucis affecta est, non sine strepitu hostes teterrimi discessere.

E muliere

diceret. Non dum es liberata. Verum paulisper praestolare. cito enim liberaberis, qui simul manu eius vultui admota, spiritus teterrimos propulsauit.

Quarta energumena liberatur. Cap. VI.

DEVTALLEVE Ioannis filius, Calliensis Luciam filiam Fabrianum ad idem templum perduxit, quam infestissimi daemones quatuor, tres ipsos, & eo amplius menses occupatam, etiam ante beati uiri obitum tenebant: atque ita dies noctesque uexabant, ut ea more irritati cuiuspiam canis persaepe latraret. Quum igitur puellae pater aliique complures eam tunc in templum introducere conarentur, nulla ratione mali daemones ipsam ingredi patiebantur, sed vehementius operam dabant, ut acriore latratu canes imitaretur. Verum ii, qui cum puellae patre praesto aderant, eam facto impetu tandem ad sepulcrum vsq. B.Ioannis pertraxere. Quo vbi peruenit, illico daemones, Deo imperante, sanctissimi viri meritis recessere.

Quinta

Quinta energumena curata. *Cap. VII.*

BRVNETTA Venturutij uxor Eugubina Fabrianum uenit aut potius per uim propemodum à duobus viris perducta est Puzzolo, & Nuto Gilioli. Qui iurati affirmarunt eam duodecim iam, & eo amplius annis à sex daemonibus, ut ipsimet improbi spiritus fatebantur, grauiter conflictatam: etenim eam in templis res diuinas neque cernere, neque audire omnino sinebant: quorum item scelere ac furore non modo os atque oculos distorquere, uerum etiam Deo atque caelitibus maledicere cogebatur; iam uero Dei praepotentis imperio & sancti uiri deprecatione in libertatem ex tam dira seruitute uindicatam.

Sexta mulier è daemonum manibus erepta. *Cap. VIII.*

FLOS DEMONTE (id erat viro nomen) Cremona quidem oriundus in Gallia Cisalpina, sed in Piceno tum incola Fabriani, quum aliquando patriam reuiseret, energumenam quamdam offendit, non procul ab urbe Regio, plus uiginti hominibus comitatam.

Quae

Quae ut eum procul aſpexit, exclamat, aut per eam potius daemones, eam ſolito etiam crudelius diuexantes. En pergit huc, Ecce in hac uia pergit, qui nos hinc egredi coget. Ad haec uerba, qui energumenam proſequebantur, uehementer admirati reſtiterunt, hominem, dum propius accederet, expectantes. ille uero ubi peruenit, prior interrogat, Quid iſta tandem mulier uſque adeo uociferatur? At illi: Quia nimirum à daemonibus agitur, & modo cum te appropinquantem uidit, ab iis maxime torqueri coepit, ut haec uerba de te illorum nomine iteraret. En uiator, qui nos expellet. Itaque nos quidem magna ſumus admiratione ſuſpenſi: Tu uero, ſi quid noſti, quod eam iuuare queat, rogamus, ut opem feras. Ad haec uir prudens feminam miſeratus, Nolite, inquit, mirari cariſſimi. Nuper enim Fabriani, monachus è uita migrauit, Ioannes nomine ſane uir ſanctus, per quem Deus innumerabilia in dies, & uaria mortalibus beneficia tribuit. Credo equidem hoc etiam ei reſeruari. Quibus dictis, ad mulierem cōuerſus, Praecipio uobis, inquit, per uirtutem ac merita S. Ioannis à baculo, ut hanc mulierem liberam dimittatis, & eam uexare in poſterum deſinatis. Tum uero ſpiritus immaniſſimi multo in eam acrius deſaeuientes

tem extinctum existimaret. Diabolus interea ex Matronae oculis euanuit. At viatores quidam, qui Fabrianum contendentes, Paulinam aliquantulum praeterierant, ad eius clamores regressi, caussam tanti fletus exquirunt. Quibus ipsa: Puer, inquit, equo oppressus interiit. Illi vero vbi rem totam, vt acciderat, cognouerunt, Non fuit mulier, inquiunt, illa, quae se ante equum modo prostrauit, sed infestus daemon, qui feminae figuram sumpserat, cui nos quoq. paulo ante occurrimus ex tali loco prodeunti. Verum noli metuere. Sanctus Ioannes à baculo puerum tibi restituet. Ergo Paulina cum viatoribus iisdem Fabrianum diuertens, pueri vulnera Chirurgis ostendit. Illi ex vulneribus, & contusione puero interritum imminere denuntiant. At mulier maesta, ac de nepotis salute sollicita, ad preces conuersa cum lacrymis, sancte, inquit, Ioannes à baculo affer opem, quam pro hoc puerulo exposco. Votum quoque his precibus adiunxit. Mirum dictu: Vix finem precandi fecerat, quum subito puer, Deo iubente, ac B. Ioanne suffragante, ab omni contusione ac vulnere liber, surrexit incolumis.

Puer à mortuis excitatur. Cap. X.

DIE secundo Aprilis, qui nonus videlicet erat ab emigratione B. Ioannis in Caelum, Billa vxor Corradi Paganelli, & Marchesina elemosinae coniux fratris eiusdem Corradi, ambae ad sancti viri tumulum profectae iureiurando confirmarũt se nocte proxima Guidutium Corradi & Billae filium incolumem in lecto reliquisse cum fratre: ac religionis ergo, vt miracula sancti Ioannis audirent, ad sacras S. Benedicti aedes contendisse, reuersas deinde, Corradum offendisse plorantem, fletusq. caussam sciscitantibus eum respondisse. Guidutius filius noster est mortuus, seq. ad lectulum properantes, puerum iam frigidum, ac prorsus exanimum reperisse. Ergo sublata voce cum lacrymis verba illa identidem iterare. Filius noster nobis est ereptus, Noster est filius nobis ereptus. Mater vero vota facere, ac pie simul coepit expostulare. ò vere sancte Dei, haeccine nobis reddis, quòd ad sacras aedes venimus, vt miracula tua veneraremur? Affer opem obsecro, filiumque mihi restitue. Polliceor enim me cum filio ad sepulcrum tuum esse vẽturam, cereamque candelam eiusdem atque

ipse

ipse longitudinis allaturam, & in tua tutela permansuram esse dum viuam. Hisce votis ac precibus ceterae quoq. mulieres; quae lamentanti aderant, pia commiseratione permotae, suffragabantur. Quibus expletis, subito puer non viuus modo sed etiam sanus atque incolumis extitit. Quare illum mater ad. sancti viri tumulum detulit, multis aliis comitata, eique, cuius meritis secundum Deum, filii vitam referebat acceptam, praestitit promissi fidem.

Alius mortuus puer reuixit. Cap. XI.

VIR quidã Mathelicensis Fabrianum, octauo Mẽsis Iunij die, venit cum coniuge; vt acceptũ beneficium publice profiteretur sui vnici filij in vitam reuersi diuinitus: ne in Deum ac B. Ioannem esset ingratus. Id autem fuit huiusmodi. Mater infantem, quem ad horam in solario incaute reliquerat, paulo post vidit ad inferiora inter saxa corruentem: ac protinus B. Ioannem inclamans accurrit, ex eoque loco puerum eruit, vbi confractus iacebat exanimis: quippe quum nulla in eo vitae cernerentur indicia, vt parens vterque aliique permulti, qui ad lamenta concurrerant, asserrebant. Quare, comploratione aucta parentes vnà B. Ioannem

votis ac precibus inuocant. Vix ea vota nuncuparant, quum repente puer ſpirare coepit, & libere, nullo infracti corpuſculi manente veſtigio, vitae munera exequi. Tam proſpero euentu exhilarati parentes infantem viuum atque incolumem Fabrianum ad B. viri monumentum deferunt, ac vota reddunt pro eius ſalute ſuſcepta.

Puer tertius redit in vitam. *Cap. XII.*

BERNARDVTIVS filius Florentiae Mandoli ex oppido quod Roccacontrata vulgo nnncupatur, feſto die S. Paterniani ex graui morbo interiit: in quem pridie inciderat. Quare Florentia mater dolore conſternata, gemitibus, & lacrymis afflictabatur. Quum vero miraculorū fama, quibus uir beatus aſſiduè coruſcabat, tota paſſim prouincia peruagaretur, ad eum ſupplex ex animo confugit, & ò ſancte, inquit, Ioannes à baculo adeſto quaeſo, atque ad vitam mihi filium reuoca. Exinde, certo quodam voto nuncupato, reuixit puer, multis praeſentibus, & admirantibus, Deoque ac B. Ioanni propterea gratulantibus. Porro hi omnes, Philippus videlicet, qui vt puerum extinctum ſepulturae mandaret, aduenerat,

Ben-

Benuenuta vxor Iacobutii Mandoli cum tribus aliis eiusdem viciniae, ac pueri matre, continuò profecti ad sancti viri sepulcrum, & ipsi haec palam iurati narrarunt, & Albertinus publicus itidem scriba publicis monumentis consignauit. Atque ita pueri parentes voto se alacres liberarunt.

Quartus Puer ex paralysi mortuus reuiuiscit.
Cap. XIII.

FRANCISCVS siue Franciscutius puerulus, Matthiae ac Florae filius vnicus, quum ex graui paralysi esset extinctus, parentes in maximos propterea luctus inciderant. Mater tamen potissimum, ea iactura moerens, postero die filii corpusculum Fabrianum deportat: ac super B. Ioannis tumulum deponit exanimum. Ibi igitur lugens beatumque virum inclamans ita supplicauit, ò vere S. Ioannes à baculo puerum hunc pro tua clementia mihi viuũ quaeso restitue. eius porro lacrymis ac precibus quum ii qui aderant ex commiseratione suffragarentur, (res mira) mortuus puer repente beati viri meritis redit ad vitam: & simul prae gaudio illacrymans, matrem compellat his verbis. Mea mater, beatus Ioannes mihi

reddidit sanitatem. Itaque tum puer ipse cum matre, tum ceteri, in Dei laudes effusi ad suos quisque reuertuntur. Id enim totum deinde tum pueri mater Flora vxorque Matthiae, tum Gratiolus Ioannis ad eandem aedem profecti coram religiosis viris Philippo abbate coenobii de Caprilis, Andrea, & Bartholo monachis coenobij Appinini, atque aliis praeterea multis iurati confirmauerunt. Porro interrogati testes, qua tandem ratione extinctum vere fuisse puerum antea nossent, responderunt se puerulì corpusculum attrectantes, penitus gelidum, nigram faciem, oculos assidue clausos, omnia denique mortis indicia comperisse.

Alius infans morbo extinctus reuocatur in vitam. Cap. XIV.

THOMAS Mathei ,censis Ioannam Vrbinatem vxorem duxerat: ex eaque susceptum filium, Maximum appellarat. Is antequam primum aetatis annu expleret, nescio quo morbo oppressus, in cunis triduo ipso, sine spiritu iacebat, & motu, quum neque hac sugeret, neque cibo vllo vesceretur, ergo, die tertio, quum omnino nulla vitae extarent indicia, mortuus non à parentibus modo, sed etiam à

vicinis est habitus. Quare quum illi prorsus
exanimatum dicerent, atq; ad sepulturam de-
ferendum esse censerent; mater nimio affecta
moerore, filium vnicum sibi praereptum deplo-
rans, neque vllum consolationis genus admit-
tens, ad virum sanctum, cuius erat perstudiosa,
confugit. Quocirca protinus inspectantibus
omnibus genua ponit, manus tollit, & vim la-
crymarum profundens, Sancte Ioannes (excla-
mabat) à baculo. Te ego per eas virtutes oro,
quibus Deo placuisti, vt me adiuues, & mihi
extinctum filium viuum reddas: etenim credo
te à Deo res huiusmodi facile impetrare posse.
Ego vero voueo, ac recipio me cum filio quo-
tannis ad aedem tuam esse venturam, ac tan-
tumdem tritici pondus, quantum est filij mei
corpusculum allaturam, cereoq; redimituram
cingulo tuam aram, ipsumque puerum Deo, re-
ligiosaeque familiae dicaturam, vbi tu vitam
sanctissime traduxisti. His dictis, arrepta con-
festim statera (quamuis ab ijs qui aderant, in-
creparetur) filij corpusculum nouem libras pē-
dere comperit. Quibus rebus peractis, repen-
te, multis cernētibus reuixit infans, & lac sum-
psit vt antea; atque ita, Dei Beatique Ioannis
beneficio, mater suum filium vitae restitutum
recepit, ad beati viri sepulcrum plurimis comi-

tata

tata teſtibus acceſſit, promiſſa munera detulit, ingentes Deo gratias egit. Puer autem, vbi adoleuit, in B. Silueſtri ordinem admiſſus, ac mutato, de more, nomine, Frater Adrianus appellatus, adhuc erat, cum haec primum ſcriberentur, in eodem ordine noſtro ſuperſtes.

Hactenus quae ab Andrea ueteri illo rudiq; fuerant ſtylo conſcripta perſecuti ſumus, ſententia nihil immutata, dicendi genus dumtaxat quoad eius fieri potuit expolientes. Reliquum eſt, ut qui beneficia per ſanctum hunc virum à Deo accipiunt, & nos qui eadem intuemur demus operam diligenter, ne in benignissimum bonorum omnium auctorem ſimus ingrati, ſed quum ipſum, qua par eſt ueneratione ac pietate ut parentem optimum redamemus, tum eius amici famulique Ioannis mores ſanctiſſimos atq. uirtutes, demiſſionem in primis animi, patientiam, caritatem pro viribus imitemur.

Εις τὸν μακάριον Ἰωάννην τὸν ῥαβδοφόρον ἐπίγραμμα.

Ματθ. ί. μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον.

Μάρκ. ϛ΄. παρήγγειλεν αὐτοῖς ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰμὴ ῥάβδον μόνον.

Νικολάου Αλαμαννοῦ.

Βαιῆς ἐν σελίδεσσιν ἀνὴρ μέγας, ὃς κατὰ γαῖαν
  ἀιπυτάτην χριςοῦ κοῦφα πέρησε τρίβον,
Μουνοχίτων, ἀπέδιλος, ἀνάργυρος, ἔκτοθι πήρης,
  ἀσκίπων τὸ πάρος μέχρις ἔρειδε βάσιν.
αὐτὰρ οἱ ὄφρα φίλοι λιπογυίῳ βάκτρα προσῆγον
  ἢ γελόων, δέχομαι ἀντὶ ποδὸς κορύνην,
Χριςὲ δὲ σοῖς ἑτάροισι πέρες, καὶ ἀφήρεο βάκτρα
  Μὴ νῦν βάκτρον ἔχων, Χριςέ, περισσὸν ἔχω.

Marcus Antonius

BONCIARIVS

D. IACOBO MERCATO

Siluestrino S. D.

MISIT ad me tuo nomine Reuerendissimus uester Prior Generalis Vitam B. Ioannis A Baculo, tribus distinctam libellis, tanta sermonis elegantia & uenustate confectis, tanta etiam rerum actionumque uarietate ac nouitate distinctis, ut quamquam essem mirifice occupatus in corrigenda Borromæide, quam continuo eram missurus Mediolanum: tamen ab illis ipsis diebus quotidie aliquid otij suffurarer: quod dabam scilicet huic Opusculo cognoscendo & expendendo sicut scribens mihi mandaueras usque adeo donec iterum atque iterum ualde libenter & cum magna uoluptate perlegi. Ac primo quidem me historia potissimum, secundo potissimum stilus & oratio: semper autem mirabiliter utraque res delectauit. De Auctore quamquam nihil ad me scribis, & tantummodo quemdam esse de uestratibus affirmas: O mi Mercate, utinam haberet uestra Societas præter te aliquem alterum, nec plus dico quam unum alterum. qui ad hunc modum scribere posset tametsi est plane pusilla nec admodum magno sodalium aut locorum numero constat; censerem tamen cum amplissimis atque copiosissimis merito posse conferri. Sed ne nunc

quidem

quidem post-ferendam aut minoris æstimandam esse mihi persuadeo; si hoc in genere scribendi te unum Mercate nacta, sit, præterea neminem. Modestiæ tuæ potero fortasse in suspicionem adulationis uenire non ueniam Rationi si rem mecum accuratius inspicere libebit...

Tria potissimum hoc seculo esse mihi uidentur, quæ sanctis sodalitatibus, quas uulgo Religiones uocamus pretia faciunt, & dignitatem aut maiorem aut minorem conciliant, Sanctitas, Doctrina, Eloquentia. In primis ualde honestum censetur Religionibus, magnum numerum posse ostentare Sanctorum, quibus eximium cultum, & cælestes honores Ecclesia decreuerit. In secunda laude Theologi in tertia Ecclesiastæ seu Oratores ponuntur, qui aut uoce, aut scripto Rem Christianam illustrarunt, illi quidem subtiliter differendo, hi autem suauiter, & efficaciter mouendo. sicut illi ad intellectum loquuntur, & ei perspicue ostendunt quid sentire, quid facere oporteat: ita istis negotium est cum humano affectu, quem ad amandum operandum, ac pie agendum compellere conantur.

Ex his autem, quos proposui tribus fontibus, unde Religionum maior minor ue dignitas manat, Eruditio paulatim adeo creuit & tam late ampliterque nostro seculo per Orbem Christianum diffusa est, ut numquam scriptorum quorum cumq. maior fuerit ubertas, quam est hodie Theologorum, & quidem insigniter celebrium. Soli forsitan Poetæ uulgares cum istis posse contendere uidentur, sed numero, non pondere aut pretio possunt. Narrat quidam mihi de claustralibus istis Magistris lōge doctissimus in sua societate sic abundare numerū docētium dialecticā, Philosophiam, Theologiam, ut Doctoribus longe multis eruditione præstantibus, & iam natu grandibus cessandum sit

atque

atque in otio uita traducenda, nisi studiorum aliud genus colere incipiant quoad usque uacet aliqua schola in qua suam artem profiteri possint. De nonnullis huiusmodi scholis compertum est mihi, haud stultc factūrum si quis uocet in controuersiam, utri sint numero plures qui doceant an qui discant. Et in hoc quidem medio genere quod ad Doctrinam pertinet Relligiones prope omnes, prope pares constituere licet, pro multitudinc professione, occupatione & facultate singulorum. Duo illa quæ posuimus extrema, Sanctitas, & Eloquentia semper fecerunt & hodie faciunt magna discrimina inter pias Sodalitates. Habuerunt aliquæ Sanctorum illustrium magnam copiam, scriptorum autem elegantium plane nullam. Ex contrario quædam per multos sane optimos uiros, at nullis tamen paulo insignioribus miraculis claros producere possunt: Scriptores autem simul eloquentissimos, & simul plurimos innumerato habent à quibus alumnorum suorum acta omnia in litteras mittuntur & commendantur immortalitati.

Huius discriminis, siue (ut ita dicam) diuortij Sanctitatis & Eloquentiæ non omnem homines, sed aliquam tempora ipsa culpam sustinent, uel dicam hoc modo planius. Sanctitas maior minorue ab hominibus ipsis est maiore aut minore cœlitus gratia donatis. cum tempore aut loco, aut fortuna nihil penitùs negotij habet. Eloquentia uero ab istis etiam magnopere pendet externis, non tantum ab ingenio, & labore scribentium. Missa faciamus exempla gentilium paganorum & ad nostra descēdamus. Cum in Græcia post priorem Occasum Athenæ reuixissent, in eaque liberales disciplinæ pristinam dignitatem

atque

atque splendorem obtinerent; uidemus ex illo tanquam fertilissimo agro quantum prouentum Ecclesia protulerit nobilium ingeniorum: Damascenos, Chrysostomos, Basilios, Nazzianzenos; & subinde nihilo minorem ex conterminis aut nostratibus prouincijs Cyprianos, Hieronymos, Ambrosios, Augustinos. in quibus singulis alijsque horum similibus merito dubites, utram rem magis admirere, sanctitatem, an eloquentiam. Seculum est illud tempus, cum ab Septemtrione colluuies illa barbarorum primo in Græciam, deinde in Italiam, paulo post in reliquam Europam inundauit. quæ liberales disciplinas, omnesque ingenuas artes crudeliter uexauit. Linguas uero Græcam, & Latinam penitus extinctas demersit. cum his obruta, & sepulta remansit non modo Eloquentia sed omnis elegantia, & puritas, & nitor orationis. Ex quo factum est, ut surgentes aut resurgentes per illa tempora piæ familiæ Crucigera. Dominicana, Franciscana, & aliquæ recentiores, uitæ innocentiam, & sanctitatem prorsus eximiam præsetulerint, mox Philosophiam, & Theologiam socias adsciuerint, easq. pari studio coluerint ad hæreses, quæ tunc maxime urgebant exterminandas. Eloquentiam uero & omnem artem poliendæ orationis multi propter difficultatem aggressi non sunt, plerique sicut inutilem contempserunt. Inde scilicet Alberti, Alenses, Aquinates, Egidij, Scoti, Baccones, alij prodiere. in quibus omnibus eruditionem plane singularem, in nonnullis æqualem uitæ sanctimoniam agnoscas, Eloquentiæ uix aliquam umbram & ne hanc quidem in multis.

Fuit illa barbaries, ut mihi quidem uidetur, humano generi dupliciter incommoda, idest non modo ad rem ec-

clesiasticam, sed etiam ad rem publicam, & ciuilem. Quia enim neque homines seculares, neque religiosi ullam ferme loquendi aut scribendi scientiam tenebant. inde factum est ut illorum aliquot seculorum historiam aut penitus desideremus, aut certe imperfectam, ambiguá inconstantem ac perplexam habeamus. Eadem ex causa uitæ sanctorum uirorum, qui sane plurimi & maxime mirandi per illa tempora floruerunt partim missæ in litteras non sunt, partim admodum incuriose ac negligenter exaratæ ad nos peruenerunt. Conqueri libet generale infortunium pariter dolendum & mirandum. Per quæ tempora res grauissimæ ubique terrarum, sed maxime in Græcia & in Italia successerunt, ingentes clades; nec hominum modo, sed urbium, insularum, & regnorum euersiones. idest cum orbi plurima inciderunt scribenda, tum fere nemo inuentus est, qui scribere aut posset aut curaret. Non libet ad externa, & nimis longinquá calamum extendere. proxima & nostratia spectemus. Ipse S. Franciscus quale quantumque sanctitatis exemplar fuerit, & qualem quantamque similium sui scholam habuerit non ignoramus: Rufinos, Aegidios, Masseos, Bonauenturas, Antonios, Bernardinos. Tamen piget pudetque recordari, á qualibus siue historicis relata, siue poetis cantata illorum egregia facinora fuere. Possum ex altera parte gratulari seculo nostro quòd eximij quidam e nostratibus; haud illi profecto quidem cum ijs quos supra posuimus, conferendi, tamen quia facundos, & diligentes, & elegantes nacti sunt scriptores rerum suarum, hodie á quam plurimis leguntur, & in pretio habentur super antiquos. Alter utrum erat optandum

Mercate,

Mercate; sed alterum magis, dico ut uel antiquioribus illis laudatores huiuscemodi obuenirent, qui facta illorum uerbis suis exaquare possent: uel certe ut scriptoribus tam industrijs, & tam uenustis paria ueterum argumenta suppeterent ad prædicandum, ad extollendum. Id uero quoniam non contigit, & utrumque frustra speratur; consentaneum erat ut quiddam tertium ex utroque permixtum atque conflatum existeret; quod paulatim ueniret in consuetudinem: dico ut seculi nostri decora ingenia sumerent sibi memorandos, exornandosque sanctissimos uiros temporum superiorum. Id uideo non ita pridem fecisse, ac facere quotidie per multos in uulgari lingua: latine autem & eleganter, & apposite quibactenus fecerit, aut in præsens moliatur, mihi quidem in mentem non uenit, & flagro iam diu cupiditate legendi exarata latine stilo peramœno, ac perpolito acta sanctorum uirorum, qui per aspera illa, & horrida secula uiguerunt.

Enim uero Mercate, optandum magis quam sperandum uidetur, ut scriptores elegantes, siue seculares, siue religiosi talem prouinciam suscipiant. secularium, præsertim optimorum exiguus est numerus, alia occupatio, minor pietas, minor facultas. religiosi quam maxime multi, tam minime negotiosi esse uidentur. Sed unusquisque de recentibus, & suis licet non sic eximijs; quam de ueteribus & alienis licet sanctissimis scribere mauult in quo illos ego non solum excusatione uerum etiam laude dignos iudico. Scribant Augustiniani suos Guglielmos, & suos Nicolaos. nec expectent Franciscani ut Barnabitæ, nec Dominicani ut Iesuitæ suos ueniant laudatum siue Aquinates siue Paduates. alia suppetunt utrisque argumenta

menta domeſtica , quibus externa præferri aut conferri æquum non eſt. quare autem non ipſi quoque ſuam iuuentutem , & ſuos tirones latinis græciſque litteris inſtitui curant ? quare non antea rhetori exornandos , quam dialectico armandos comittunt ? cur ſic imparati à minoribus ád maiores artes tranſitum feſtinant? Sed deinceps opinor haud ita feſtinabunt . Summi Pontificis decretum audio eſſe interpoſitum , quo iubentur clariora gymnaſia , conuentuum omnium humanioribus & litteris & linguis ſolidam operam impendere , priuſquam introducantur ad ſapientiam. Ita ſpei aliquid affulgere coepit futurum in tempore id quod ego maxime uouebam, ut ſingulæ familiæ ſanctos alumnos ſuos non ſolum ueneratione & cultu , ſed etiam latina , eleganti , & ornata hiſtoria celebrare contendant . Nos interim tua fruemur, diſertiſſime idemque doctiſſime Mercate ; quam ego cum attentius relegerem , & me illinc rerum admirabilitas , hinc orationis ſuauitas caperet . cum tantummodo decreſſem tibi tuæque ſocietati ſimpliciter, & ex animo gratulari: neſcio quo pacto in hanc erupi partim laudationē partim querelam ſiue hominum , ſiue temporum , & te forſitan dimitto intempeſtiua dicacitate fatigatum . Vale Peruſiæ Calendis Septembribus CIↃ IↃ CXI .